

2937

## LITURGICI

2938

DCCCXI.

277 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 190. f. fat eleganter exaratus et rubricis distinctus est Ordo divinorum officiorum et sacrarum Ceremoniarum Ecclesiae, ut infra patebit, Passaviensis, cuius contenta, cum id Index praevious non praestet, adcuratius edisseram. A fol. itaque 3. habetur Ordo in Vigilia Natalis Domini, ubi simul modus eam celebrandi ex Ordine Romano adfertur, in Vigilia sancti Stephani, in Vigilia sancti Iohannis apostoli, in natale Sanctorum Innocentium, in octavis domini, in vigilia theophaniae, de theophania et octava theophanie, in Purificatione Sanctae Mariae, in cathedra Sancti Petri, in annunciatione sanctae Mariae. Fol. 9. Tituli five Summaria XX. Librorum Collectionis Canonum Burchardianae, quorum absque Autoris mentione hoc est initium: *Incipit Primus Liber De Potestate et primatu apostolicae sedis &c.* Fol. 10. Ordo in Capite Ieiunii, qui ritum confessionis et Cineris benedictionem explicat. Fol. 17. *Denunciatio mensis I.* cum agendis usque ad Dom. Palmarum Fol. 19. Ordo in die palmarum, de Feria IIII. maioris ebdomade, de officiis diuinis in cena domini Feria quinta, quibus quaedam e Liturgia Ambrosiana admiscuntur, de nocte et in die Parasceve, et de sabbato sancto, cum Catechesi Baptizandorum five Expositione Symboli apostolici, verborum graecorum baptisterii, et Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

Confessionis dictae Athanasianae. Fol. 68. Ordo Die resurrectionis dominice, et diebus sequentibus. Fol. 71. Ordo in letania maiore, In inuentione sancte crucis, in uigilia ascensionis, in sabbato sancto pentecostes, et diebus sequentibus. Fol. 76. Orationes ad capillaturam incidendam, ad puerum tonsurandum, ad clericum faciendum. Fol. 77. De gradibus romane ecclesie, five Ordo qualiter in romana ecclesia sacri ordines fiunt. Fol. 89. Ordo ad benedicendam ecclesiam, consecranda vasa et vestimenta sacerdotalia, Baptisterium, Coemeterium. Fol. 113. Reconciliatio violatae ecclesie, Consecratio Sanctimonialium, Abbatissarum, Viduarum. Fol. 127. Ordinatio abbatis, Benedictio Sponsorum. Fol. 129. Ordo excommunicationis, Benedictio nouorum retium, uexilli, ensis. Fol. 135. Ordo qualiter episcopus in romana ecclesia ordinetur. Collatio Pallii Archiepiscopalis, Benedictiones super capsellas et fustes, super confirmatos, Salis et Aquae. Fol. 149. Orationes et Exorcismi super demoniacum. Fol. 155. Iterum Ordo ad Clericum faciendum et post hunc proluxa Expositio Rituum in consecrandis Ecclesiis usitatorum constans IX. Capitibus, quorum primum inscribitur: *Quid significant duodecim candelae*, et incipit: *Morem quem sancta ecclesia tenet in sollempni domus dominice consecratione &c.* Ultima sunt: *Et sicut propheta dicit. Leticia erit eis. Explicit deo gratias canon de edificanda ecclesia.* Extat apud Edm. Martenium T. II.

E e

II.

2939

## C O D I C E S

2940

II. de ant. Eccl. Ritib. p. 768. sub nomine *Remigii Altissiodor.* Fol. 173. *Expositio uestium aaron.* Initium: *Locutus est dominus ad moysen dicens. Facies uestem sanctam fratri tuo — Quid desig-*

*natur per uestes sanctas &c.* Deficit in his verbis: *poni iubentur quomodo talia fieri — — et statim sequitur Hymnus in Anniversario, ut videtur, Dedicacionis Ecclesiae:*

*Sanctificetur ista dies annua.*

*Qua renouantur gaudia continua.*

*In qua fundatum deo sacrificium Cotidianum prestat beneficium.*

*Ad honorem domini &c.*

Fol. 177. *Ordo ad regem benedicendum, qui terminatur memorabili Litania, quae incipit: Christus uincit. Christus regnat. Exaudi Christe. Siluestro summo pontifici et uniuersali pape uita ac uictoria, et post invocatos Petrum, Paulum, Andream, Clementem, Xixtum, et Cyriacum: Exaudi Christe. Heinrico a deo coronato magno et pacifico regi uita et uictoria. Redemptor mundi Tu illum adiuua, et rursus post invocationem S. Mariae, Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, Johannis, Stephani, Lini: Exaudi christe. Antistiti a deo electo uita et uictoria.* Denique post invocationem Felicitatis, Perpetuae, Agathae, Luciae, Caeciliae et Petronellae: *Exaudi christe. Omni clero patauiensis ecclesie uita et uictoria &c.* Litaniam hanc cantatam fuisse primum, dum *Carolus M. a. 800. a Leone Papa inauguraretur, ex Scriptorum testimoniis, quae Ducangius in Glossario, v. Laudes* congeffit, uero simile fit. Habes ibidem Specimen etiam ejusmodi Litaniarum laudibus et adclamationibus mixtarum. No-

strarum praesentium usum fuisse intra 6. Junii diem 1002. qua *Henricus II. dictus Sanctus Imperator electus est, et 11. Maji, qua a. 1003. Silvester II. Pont. Max. obiit, ex adductis liquet, uti etiam pertinuisse eas ad Ecclesiam Passaviensem, cui ea tempestate Christianus praeerat. Cur uero in Codice Sec. demum XII. exarato nomen Siluestri et Henrici etiamnum compareat, dicere non habeo; illud tamen observo alia manu, et fortasse paullo antiquiore, Litanias has descriptas esse, quam reliqua Codicis. A fol. 184. ei finem imponit *Benedictionale e Sacramentario Gregoriano* desumptum, ita tamen, ut quaedam *Benedictiones Gregorianae* nostro desint; quaedam uero nostrae inter *Gregorianas* non habeantur. In uniuersum, qui *Liturgiam* hanc, quam *Bajoaricam* appellare fas est, per singula examinaverit, ex *Romana, Gallicana, Gotbica* et *Alemannica* conflata esse deprehendet, dignamque censebit, quae inter uetera *Rituum nostratum Ecclesiarum**

Mo-

2941

## LITURGICI.

2942

Monumenta, maxime *Rubricarum* ergo, olim lucem adspiciat.

DCCCXII.

168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. per duas columnas eleganter exaratus et rubricis distinctus est *Liber ritualis Ecclesiae Pataviensis Praefule Leonbardo de Layming*, qui ab anno 1423. usque ad annum 1451. sedem occupavit. Eruitur hoc ex Formulis f. 56. p. 2. quibus Presbyteri recens ordinati preces fundere jubentur: *Signanter tamen orabitur pro dyocesano nostro Leonbardo pastore et gubernatore Ecclesiae Pataviensis &c. Etiam orabitur pro Serenissimo Rege nostro Romanorum Rege Sigismundo &c. Signanter orabitur pro Illustrissimo duce Alberto duce Austriae. et pro alijs omnibus ducibus Austriae Stiriae Carinthiae &c.* Initium Codicis facit *Elenchus miniatus Rituum et Benedictionum. Fol. 10. p. 2. in Litanis majoribus invocantur etiam tutelares Ecclesiae Valentinus et Maximilianus. A fol. 96. calamo currenti usus est Librarius, et posthac in Consecratione Episcopi f. 97. p. 2. notari meretur interrogatio: *Vis sanctae salczpurgensi ecclesiae videlicet metropolitanae tuae debitam subiectionem et obedientiam exhibere?* Resp. *Volo.* Formulam hanc *Rituali* rursus insertam fuisse autem post Bullam *Martini V.* anni 1423. mira instabilitate revocatoriam Exemptionis a se et antecessoribus suis Sedi *Pataviensi**

concessae, neque adeo fortassis invito *Leonbardo*, ut qui infulas *Eberbardo Salisburgensi* deberet, in cujus arbitrium Partes confenserant. Vide hac de re *Marci Hanszii Germ. Sacr. T. I. p. 504.* ubi deinceps p. 538. Codicis etiam nostri mentionem habes.

Praetexta est illi membrana continens mandatum a *Wolfg. de Lytschaw* et *Thoma Zech* presbyteris datum *Henrico Stephano* et *Wilbelmo* scriptoribus *Cancellariae Episc. Patav.* ad petendam iis et eorum nomine a *Leonbardo* Ep. institutionem et investituram, nomine quidem *Wolfgangi* ad Paroeciam *S. Margariae in Haydenreichstain* a *Fridrico* Rom. Rege Duce *Austriae* jure Patronatus praesentati; nomine vero *Thomae* ad Paroeciam *S. Joh. Bapt. in Seyfrids* a *Michaele* Plebano in *Lytschaw* Patrono illius Ecclesiae nominati. Datum a. 1447. *Indict. X. Die 4. Febr.* Nomina testium erasa sunt. Signum Notarii *Erbardi de Asparn.*

DCCCXIII.

Codex membraneus lat. Sec. 4<sup>o</sup> XII. Folior. nunc 79. 4. caractere sat minuto, multisque rubricis distincto *Liturgicus* est, hisque praecipuis constat Partibus: I. *Calendario* ecclesiastico - astronomico, quod non modo ad quemvis diem multorum *Sanctorum* Nomina, sed plerumque verba etiam initialia *Missarum* de iis celebrandarum exhibet, Solis item Lunaeque motus, Cycli, Epa-